



## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Instructio practica ...**

Succinctam Doctrinarum Asceticarum Svmمام Comprehendens - Quam ad majorem omnium in Ascesi proficere cupientium utilitatem ac subsidium

**Lohner, Tobias**

**Dilingæ, 1685**

§. 3. De Muliere.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-48214](#)

do enim impletur consilium Apostoli suadentis, ut  
Mundo tanquam non utentes utiamur.

V. Quartum est, ut studeat non quocunque  
modo recedere à Mundo, sed ita, ut eodem, aut  
majoti fervore, quo prius Mundo serviebat, deinceps DEO serviat, juxta consilium S. Augustini di-  
centis: Amorem vestrum purgate, & quales impetus  
habebatis ad Mundum, tales habeatis ad Artificem  
**Mundi.** Quod ipsum etiam suadens S. Chrysologus,  
vivamus, inquit, DEO paululum, qui sæculo vici-  
mus totum: deditus corpori annum, demus ani-  
mæ paucos dies. Tempus est, ut aliquando tibi  
domuique tuæ provideas.

### §. III.

#### *De Muliere.*

I. Est homo ad liberos passimè procreandos na-  
tus; de qua Sequentia nosse, & observare debet  
**Asceta.**

II. Primum est, ut quantum fieri potest, omni-  
nem cum hoc sexu consuetudinem & familiaritatem  
penitus abscindat, eumque in finem, membra  
S. Hieronymi sententiam ob oculos semper habeat:  
Quid tibi necesse est in ea versari domo, in qua nece-  
sse habeas quotidie, aut perire, aut vincere? quis un-  
quam apud viperam securus somnum capit? quis ei-  
si non percutiat, certè sollicitat.

III. Alterum est, ut, ubi caritas aut necessitas  
eiusmodi conversationem aut cohabitationem suadent,  
cum magna cautela eam suscipiat; nimium enim pra-  
ceps est, qui transfire contendit, ubi alium conspexit  
cecidisse.

cecidisse. Neque fidat sibi , si cum vetulis agendum erit , nam etiam ab his periculum immiuere , pulchrè quondam Abbas quidam Monachis suis ostendit , dum omnes Ancillas & Lotrices à Monasterio removit , & Monachis propterea , quòd vetulæ essent , murmurantibus , cœnam probè salitam cum modico potu apposuit. Qui cùm ingenti siti accensi , defectu frigidæ , aquam è limoso stagno biberent , Abbas id advertens , dixit , eodem modo rem cum concupiscentia se habere , quæ , ubi cum Virginibus satiari non potest , in vetulis quærit satietatem.

IV. Tertium est , ut non timeat inordinate spirituale damnum , si tria hæc concurrant . 1. Superiorum voluntas id jubentium . 2. Pura intentio , nullum ex conversatione solatium aliud , quam DEI gloriam & animarum salutem quærens . 3. Si omnis levitas , & nimia libertas agendi absit . Ob quas causas P. Balthasar Alvarez dicebat , securitatem in agendo cum Proximis , cùm ex obedientia fit , esse valde magnam , adèò ut , si quis obediendi causâ infames fœminas accederet , ut illas Christo lucratetur , cum ijs agens mundissimas haberet cogitationes , quasi Angelus DEI ; at si ex propria voluntate in cubiculo suo maneret , fœdis ibi cogitationibus ureretur .

V. Quartum est , ut non facilè committat aliqui Mulieri secretum , quod alijs divulgati nollet ; ita enim jam olim Propheta Micheas monuit , dicens : Ab ea , quæ dormit in sinu tuo , custodi claustra oris tui . Hinc jam olim Censorius Cato dicebat , trium se pœnitudine tangi . 1. Quòd iter fecisset mari , cùm terrâ potuisset . 2. Quòd diem non condito testamento transfigisset . 3. Quòd secretum fœminæ commisisset .